



Specimen inaugurale juridicum de aestimatione rerum quarum nomine in avariam communem contribuitur

<https://hdl.handle.net/1874/319000>

SPECIMEN INAUGURALE JURIDICUM

DE

AESTIMATIONE RERUM QUARUM
NOMINE IN AVARIAM COMMUNEM
CONTRIBUTUR.

SPECIMEN INAUGURALE JURIDICUM

DE

ARSTIMATIONE BERLIN QUARUM NOMINE IN AVARIAM
COMMUNE CONTRIBUITUR.

GRON.

FAVENTE SUMMO NUMINE.

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI.

Francisci Cornelii Donkers.

Mag. Dec. 21. 1784.

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI GRONAVI.

DE

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE GRONAVI.

PRO GRADU DOCTORATIS.

FRANCISCI CORNELII DONKERS.

IN ACADEMIA RHENO-PRUSSICA.

GRONAVI.

FAVENDO AD SOLLEMNI RITUM SUBMITTI.

JACOBUS PETRUS FLOOS VAN AMSTERD.

AMSTELÆDAMI.

MDCCCLXXXIV.

AMSTELÆDAMI.

APUD G. VAN DER POST.

MDCCCLXXXIV.

4

SPECIMEN INAUGURALE JURIDICUM

DE

AESTIMATIONE RERUM QUARUM NOMINE IN AVARIAM
COMMUNEM CONTRIBUITUR.

QUOD,

FAVENTE SUMMO NUMINE,

EX AUCTORITATE RECTORIS MAGNIFICI,

Francisci Cornelii Donders,

Med. Doct. et Prof. Extraord.

NEC NON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU

ET

NOBILISSIMAE FACULTATIS JURIDICAE DECRETO,

PRO GRADU DOCTORATUS,

SUMMISQUE IN JURE ROMANO ET HODIERNO JURIBUS ET PRIVILEGIIS,

IN ACADEMIA RHENO-TRAJECTINA,

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS,

PUBLICO AC SOLEMNI EXAMINI SUBMITTIT

JACOBUS PETRUS PLOOS VAN AMSTEL,

AMSTELODAMENSIS.

AD DIEM XV M. MARTII A. MDCCCLIII, HORA I.



AMSTELODAMI,

APUD C. G. VAN DER POST.

MDCCCLIII.

1850

ASSOCIATION OF AMERICAN AGRICULTURISTS
AND HORTICULTURISTS

REPORT

OF THE

PART

OF THE

BASED UPON THE

REPORT

P A R E N T I B U S

O P T I M I S , C A R I S S I M I S ,

H A S C E S T U D I O R U M P R I M I T I A S

D, D, D.

A U C T O R.

P R A E F A T I O

P R A E F A T I O

Spesie Academicis deinde velabat nisi operibus sit-
pud conscribere, per fides scribitis meis imparet, et
tamen honores in fide hunc de Habitu caperent.
Postquam inter varia argumenta de delectatione, et
aliquid in me, meis scribis scribis operum, eligere,
difficillimum esse intellexeram, utrum Libris
ME DES AMOIR VAN DER HOEVEN adit, ut in off-
perde argumenta meis abisset. Sicut in F. Clark

P R A E F A T I O.

Spatio Academico decurso restabat mihi specimen aliquod conscribere, quo finem studiis meis imponerem, et summos honores in jure Romano ac Hodierno capesserem. Postquam inter varia argumenta diu dubitaveram, et aliquod ex iis, meis viribus satis aequum, eligere, difficillimum esse intellexeram, virum Clarissimum M. DES AMORIE VAN DER HOEVEN adi, ut in eligendo argumento mihi adesset. Suadebat Vir Claris-

simus mihi, modum definiendi pretium rerum, quae in avarias communes contribuunt, diligenti examini submittere, tum etiam me monebat ne historicam disquisitionem huius argumenti negligerem. Placebat sane mihi illud argumentum, ac praesertim eam ob causam, quod *Juris Mercatorii*, mihi prae aliis grati, pars erat. Neque spes me fefellit. Quo magis enim argumento operam navabam, eo magis voluptas, quam in tractando percipiebam, augebatur. At perscripta jam dissertatiuncula triste mihi accidit audire virum Clarissimum, cuius tanti facere dediceram iudicium, Anglos scriptores hoc in argumento secutum, opinionem profitentem sententiae, quam ego, doctrinam scriptorum Anglorum opinioni Germanorum postponens, evantiaveram, prorsus contrariam.

Perjucundum mihi est hac opportunitate uti ad gratum animum significandum iis, qui mihi antecessores

—
fuerunt in jurisprudentiae disciplina, qui mihi viam
indicaverunt, qua ingressus, cum magna semper volup-
tate in praecepta Juris incumberem.

Tibi, Vir Clarissime DEN TEX, cuius scholis primum
interfui, gratias ago quam maximas pro egregiis tuis
in me, per omne tempus, quod studiis impendi, me-
ritis.

Et tu, Vir Clarissime M. DES AMORIE VAN DER
HOEVEN, cuius consuetudine frui mihi tam saepe li-
cuit, accipe gratias ex imo pectore prolatas pro omni-
bus iis, quae in me contulisti; pro consilio et auxilio,
quibus mihi tam publica, quam privata institutione
adfuisti. Fore ne unquam illa praesidia mihi desint,
est quod maxime cupio atque spero.

Etiam tu, Vir Clarissime VAN HALL, quem mihi
contigit habere promotorem aestimatissimum, quaeso,
accipias testimonia grati animi mei pro benevolentia et

*humanitate, qua me hanc dissertatiunculam scribentem,
prosecutus es.*

*Vobis omnibus denique, quibus curae est institutio
juventutis, vitam incolumem servet D. O. M.!*

Scribebam a. d. 25 Febr. MDCCCCLIII.

DISSERTATIONIS CONSPECTUS.

INTRODUCTIO.

CAPUT I.

DE NAVI ET NAULO.

SECTIO I. DE NAVI.

SECTIO II. DE NAULO.

CAPUT II.

DE MERCIBUS.

CAPUT III.

DE IIS REBUS, QUAE AD CONFERENDUM NON SUNT OBLIGATAE.

INSTITUTIONES
ARITHMETICAE
SIVE
ARITHMETICAE
PRINCIPALIA
SIVE
ARITHMETICAE
PRINCIPALIA

Primumque accipiam, quod in hunc modum ex-
plicando versum est, si quis statuat etiam de
prelo, quo naris et narium morderum nari inopis
in constituto ad varias communitas assumenda est,
statim animadvertet, ut illam hanc, qui constat
in doctrina, prout tractat sibi proponant, for-
damentum sedium et arithmetice, — principium ar-
quod statuat, in quo hunc ad hanc partem po-
est, sed illa hanc ratione aliter causa consuetu-
dinem, prout hoc in argumenta apud varias partes
rim obtinuerunt, et adhuc obtinent, Apud omnes
lore est labyrinthus rationum, in quo hanc aliquid,
quod nobis viam et exitum indicet, tracta dixerunt,
hinc sequitur aliquid principium invenit, quod
tali est congruum, a quo postea sine ulla cura de-

INTRODUCTIO.

Plerorumque auctorum, qui in jure maritimo explicando versati sunt, si quis sententias examinet de pretio, quo navis et naulum mercesque navi impositae in contributione ad avarias communes aestimanda sint, statim animadvertet, vix ullum fuisse, qui conatus sit doctrinae, quam tractare sibi proposuerat, fundamentum solidum et stabile jacere, — principium aliquod statuere, in quo usque ad finem perstare posset, sed illos potius voluisse afferre causas consuetudinum, quae hoc in argumento apud varias gentes vim obtinuerant, et adhuc obtinent. Apud omnes fere est labyrinthus rationum, in quo filum aliquod, quod nobis viam et exitum indicet, frustra quaeritur. Hinc sequitur aliquando principium inveniri, quod veritati est congruum, a quo postea sine ulla causa de-

flectitur, et si quando necesse est principium statutum modificare, rationes, quae hac de re afferuntur, ad id principium difficile referri posse; imo, nonnumquam ab eodem scriptore in hoc argumento recipi doctrinas prorsus inter se contrarias.

Sic legimus apud virum celeberrimum PÖHLS¹ omne damnum, quod res in navi accipiunt post jactum, casum esse quem ii, ad quos res pertinent, sentire debent, quod veritati est congruum, nam illa damna non diminuere possunt id propter quod mercatoris interest, quo tempore jactus necessarius erat, et tamen pag. 733 dicit merces, ubi navis coacta est portum aliquem tangere et res omnes vendi debent, tali in casu conferre debere pro eo, quo venierunt deducendis deductis, unde sequitur, damna, quae merces passae sunt post jactum, quoniam diminuunt pretium pro quo mercator ad conferendum est obligatus, sentiri a domino navis, qui eo plus contribuit. Ita non servat regulam, »casum sentit dominus,» quam antea professus erat, alioquin addidisset, additis damnis a mercibus post jactum contractis. Sic porro apud eundem scriptorem, et virum celeberrimum VON KALTENBORN², qui eum in multis imitatus est,

¹ Cf. PÖHLS. Darstellung des gemeinen Deutschen und des Hamburgischen Handelsrecht. Seerecht T. III, pag. 750.

² Cf. VON KALTENBORN, Grundsätze des Practischen Europäe-

quando quaestionem tractant utrum stipendia jam soluta nautis ante jactum sint deducenda de naulo, nec ne, causas varias invenimus, allatas ad probandum ea non esse deducenda, quae ad principium, quod ad definiendum pretium navis et mercium ad contribuendum obligatum statuerant, difficillimum referri possunt, quum in eo ipso principio invenire potuissent rationem quae solutionem quaestionis in clara luce collocasset. Haec etiam valent, cum illi scriptores de quaestione loquuntur, quatenus impensae omnino, quae vero non, de pretio mercium sint deducendae.

Sic STEVENS¹ dicit si merces aliquod damnum peculiare passae sunt, res conferre debere pro pretio, quo in conditione, qua advectae sunt, vendi possunt, quia pretium earum rerum, quae advehuntur, pretium est earum rerum, quae servatae sunt. Illud utrum verum sit, nec ne, hic inquirere nolo, sed tantum animadverto illum in hac doctrina non perstitisse. Pag. 55 enim dicit, quidquid genus sit earum rerum, quae in periculis versantur, pretium, quod habent quo tempore salvae sunt factae, id esse

sehen Seerechts, besonders in Privatverkehre etc. II. T., pag. 173.

¹ Cf. STEVENS. An essay on average and on other subjects etc. Ed. IV, pag. 52.

quod ad conferendum est obligatum, unde sequitur, damnum, quod res passae sunt post jactum, pretio venditionis esse addendum, quia alioqui diminueret pretium rerum, quo tempore sunt salvae factae. Hic igitur non conferunt conditione, qua advectae sunt. Porro dicit illum modum definiendi pretium navis ad conferendum obligatum esse optimum, qui proxime accedit ad pretium navis, quando navigat, deductis deducendis, et etiam damnis peculiaribus, quae ante jactum navis passa est, ita ut damna, quae post jactum contraxit, pretio ad contribuendum obligato insint, quum supra, ut vidimus, dixisset, merces, si per aliquem casum post jactum deteriores factae sint, ea conditione conferre debere, ita ut illa damna tunc pretio ad conferendum obligato non insint. — Damna igitur, quae *navis* post jactum contraxit, a pretio ad conferendum obligato non abducit, quum damna, quae *merces* post jactum passae sunt, facto abstrahit.

Dici potest a scriptoribus, qui hoc argumentum tractaverunt, duas sententias enuntiari, quarum una docet dominos navis et mercatores conferre oportere pro eo, quod eorum interest quo tempore jactus necessarius est; altera vero eos tantum contribuere oportere pro eo quod sive in locum, de quo *navis* profecta erat, sive in portum quem *navis* tan-

gere coacta erat, sive in locum destinationis saluum advectum est. ¹ Si quaerimus quaenam earum sententiarum alteri sit praeferenda, nobis videtur prima esse anteferenda. Si enim bene illa doctrina intelligitur, tamquam fundamentum ejus, quod dominus navis pro parte sua conferre debet, pretium, quod habet navis in portu ad quem redire solet, accipiendum est, ita ut per eam dissimilitudo evitetur, quae illi doctrinae inest, quae docet dominum navis et mercatores pro pretio, quo navis et merces loco adventus vendi possunt, conferre debere, quum illius non, ut horum quale sit illud pretium, intersit. Navem

¹ Cf. PÖHLS, pag. 725.

Wollte man mit strenger consequenz urtheilen so müsste man behaupten das Schiffmüsse für den Werth contribuiren, den es in dem Augenblicke hatte in welchen die Handlung die zur Havariégrosse Veranlassung giebt vorgenommen wurde. Eandem sententiam fert de mercibus. Cf. Pag. 735.

VON KALTENBORN, pag. 181, T. II.

..... das eigentlich der Geldwerth, den die Ware im Augenblicke der Havariégrosse-ereignisse haben der zum Contribution zu ziehende Werth sein müssen.

Cf. STEVENS, pag. 52.

For the value of what arrives, is the value of what is saved.

Cf. POTHIER, T. IV, pag. 607, N. 132.

Les marchandises sauvées par le jet, qui par quelque accident survenu depuis ont été détériorées, ne contribuent et ne sont estimées dans cette masse, qu'en égard à l'état dans le quel elles se trouvent.

Cf. BOULAY-PATY, T. IV, pag. 552. BENECKE, T. IV, pag. 297.

enim dominus ad illum locum non misit, ut venderetur, sed ut res deveheret et postea ad portum ad quem redire solet, rediret. Igitur coactus est conferre pro pretio aliquo, quod quale sit, ejus non interest, cum contra mercatores pro pretio debent conferre, quo res revera aestimant. Est ita dissimilitudo inter partes, quae secundum meam sententiam repugnat doctrinae generali, quae docet, fingendum esse dominos navis et mercatores societatem iniisse, in qua partes omnes ejusdem conditionis esse debent.

Porro conservat nostra doctrina regulam »casum sentit dominus,» quum altera eam violet. Si enim res contribuunt pro pretio, quo vendi possunt conditione qua in portum destinationis sunt advectae, inde sequitur, damna, quae illae res passae sunt post jactum a domino navis sentiri, quia, quo minus mercatores contribuunt, eo plus ille conferre debet, quum tamen verum sit, illa damna non posse diminueri id, quia propter mercatorum intererat jactum fieri, et igitur damna esse, quae tantum domini earum rerum, quae ea passae sunt, sentire debent. Doctrina tamen, quam nos praetulimus, vitium illud non habet, quoniam docet in perficienda collatione nos conari debere conjectura aestimare pretium, quod res habent quo tempore jactus necessario fiebat. Addi etiam potest ad optionem nostram

approbandam, doctrinam, quam enuntiavimus, etiam ad nautum referri posse, quum id de altera vix dici possit.

Conati sumus in doctrina, quam praetulimus usque ad finem huius argumenti perstare; an hoc propositum assecuti fuerimus, nec ne, lectorum iudicium esto.

CAPUT I.

DE NAVI ET NAULO.

SECTIO I.

DE NAVI.

Quamquam fortasse alicui mirum videbitur hoc in capite duo argumenta tractari, de quibus potius diversis locis sermo esse debuisset, attamen mihi persuasum est, lectis iis, quae sequuntur, hanc meam rationem comprobatum iri. — In historica enim disquisitione, quomodo navis temporibus antiquioribus in collatione contulerit, semper etiam de naulo sermo esse debet, quia aliquando, hoc contribuente, navis ad conferendum non erat obligata, ut difficilimum sit, quum de contributione unius loquamur, de altero tacere.

Antequam ad citanda placita de eo argumento antiquiorum et recentiorum legum pergam, liceat mihi animadvertere non omnes leges expressis verbis modum praescripsisse, quo navis conferret, vel potius non

indicasse locum, quo navis esset aestimanda. — Ratio fortasse ea est, quod navis rebus servatis comparata sit, quae contribuunt secundum pretium venditionis loco adventus, et quod in eo portu perfici collatio soleat.

Incipiamus a Pandectis ¹: in iis dicitur dominus pro portione esse obligatus; quomodo illa portio sit definienda non legitur; tantum id vetatur ne major sit quam damnum, quod navis ipsa contraxit. Credo tamen Romanos semper navem aestimasse loco adventus. L. II. § 4 enim legimus » portio autem pro » aestimatione rerum, quae salvae sunt, et carum » rerum, quae amissae sunt, praestari solet, nec ad » rem pertinet si hae, quae amissae sunt, plus venire » possunt, quoniam detrimenti, non lucri fit praestatio. » Sed *in his rebus*, quarum nomine conferendum » est, aestimatio debet haberi, non quanti emtae sint, » sed quanti venire possunt.” Ex quibus patet eos navem mercibus comparasse ². Haec eadem doctrina est recepta in Basilicis Libr. LIII. Tit. 3. Cap. 3. » Quae autem salvae sunt, quanti venire possunt” et etiam in Cap. CXIV. juris maritimi Pisae et Floren-

¹ Cf. L. II, § 2 D. de lege Rhodia.

² Cf. Pöhl's, op. cit. pag. 720. . . . Und hat ohne Zweifel die Absicht dass das Schiff auf dieselbe Weise contribuiren solle, wie die Ladung.

tiae. Secundum Consulatam Maris navis ¹ tantum confert pro dimidia parte pretii, quod *habebit*, id est loco adventus. Quod attinet ad jus Uliaricum, Wisbicense et Placitum Philippi II anni 1563, poterat secundum primum magister navis optare utrum navis an naulum conferret, quum in aliis haec optio mercatoribus erat data. Causa huius favoris patrono dari mere fuit privilegium in navigationis favorem. Illis temporibus enim, quum contractus assecurationis nondum erat cognitus, ii homines, qui pecunia sua naves construebant, multo magis in re pecuniaria periclitabantur, quam ii, qui hodie fallaci et inconstanti mari rem suam familiarem committunt. Una tempestate, una procella homo dives reddebatur pauper, quum nunc damnum ex tali tempestate ortum per multorum patrimonium diffundatur, et sic perniciem unius evitatur. Ut iis hominibus subveniretur statuit consuetudo patronos navium ad contribuendum ad damnum sacrificio voluntario contractum tantum pro dimidia parte pretii navis, aut tantum pro nave sive naulo obligatos esse, quum optio inter ea sive mercatoribus sive patronis navium dabatur. Hoc privilegium vim suam amittebat per contractum aliquem specialem, qui dice-

¹ Cf. Caput 50—95; 51—96; 53—98; 64—109. La nau deu hi metre per le meytat d'aco que *valra*.

batur *agermanamentum*, qui fiebat inter patronum, et mercatores, quando navis magnis in periculis versabatur, aut mercatores aliquid rebus suis timebant, cuius erat consilium, ut, quando quid accideret, navis et merces tamquam unum totum intelligerentur et damnum acceptum inter diversos dominos, quasi communis illius universitatis proprietarios, pro rato divideretur. Quando talis contractus erat factus, navis pro toto pretio conferebat. Hic contractus igitur comparari potest contractui hodierno assecurationis mutuae, et exceptio navem, quando hic contractus inter partes erat factus, pro toto pretio ad conferendum obligatam esse, fortasse ostendit consuetudinem, de qua loquimur, esse introductam ut patronis navium subveniretur. Vir celeberrimus FREMERY¹ dicit hoc privilegium patrono esse concessum, quoniam per navigationem et tempus, et vitam et sanitatem exponit. Dicit enim » dans le danger il paye de sa personne: c'est un genre de contribution: compte lui en est tenu. » Ratio sane satis poetica! In legibus Uliaricis, Wisbicensi et statuto Philippi II nihil legimus expressis verbis de loco, quo navis aestimanda sit. Tantum dicitur patronum auctoritatem habere aestimandi navem, et mercatoribus conceditur optio utrum

¹ Cf. Etude de droit commercial, pag. 246, 248.

navem pro pretio, quo patronus eam aestimaverit, velint sibi habere, an patrono relinquere, e quibus indirecte patet navem contulisse pro eo, quod valebat conditione, qua portum destinationis tetigerat; patronus enim obligatus ad navem aestimandam, id profecto fecerit ex iis, quae adhuc de nave superfuerint.

In Gallia praeceptum juris Uliarici viguit usque ad tempus, quo LUDOVICUS XIV Edictum maritimum promulgavit, in quo secutus est Consulatam maris; quo loco vero navis sit aestimanda, non legitur. In patria¹ nostra, quamdiu Placitum PHILIPPI II vim obtenuit, optio mercatoribus concedebatur, unde orta est consuetudo, quam etiam nunc VAN DER LINDEN² commemorat, quae praescribat ut mercatores id optare deberent, quod maxime valebat, quod sine ullo dubio antea etiam mercatores fecerint.

Videamus jam, quam doctrinam legislator noster in codice mercaturae receperit; eam comparemus cum aliorum populorum institutis et tandem, quaenam sit vera, investigemus. Legislator noster statuit Art. 727.

»De gemeene Avarijen worden gedragen door de

¹ Cf. VERWER, *Nederlandtsche Seerechten*, pag. 105, „gelijk ook nog tot Amsterdam volkomen onderhouden, en wijders alomme is een wet in Nederland.”

Cf. VAN DER KEESSEL, *Theses Juris civ. Holl.*, pag. 788.

² Cf. VAN DER LINDEN, *Rechtsgeleerd en practicaal Koopmans-Handboek*, pag. 500.

»waarde van het schip, in den staat waarin het is
 »aangekomen, met bijvoeging van hetgeen bij ver-
 »goeding van gemeene avarij wordt verstrekt.»

Si in historiam huius Art. inquirimus, vidimus in
 speciminibus anni 1815 et 1822 receptam fuisse
 doctrinam juris Francici, tandemque anno 1825 doc-
 trinam novam, quae et navem et naulum conferre
 debere docet secundum veterem illam regulam,
 »quod pro omnibus datum est, omnium contributione
 »sarciaur,» id est toto pretio. — Legislator igitur
 se rectae viae commisit, sed ad finem usque eam
 non percurrit. Tamquam fundamentum enim colla-
 tionis dominorum navium recepit pretium aliquod na-
 vis, quod pro iis revera non existet, ut infra docere
 conabimur. Sed praeterea aliquid neglexit. In doc-
 trina enim, quam ille recepit, pretio, quod ha-
 bet navis tempore, quo mare reliquit, addenda sunt
 omnia damna, quae ab eo tempore, quo periculum,
 quod causa fuit sacrificii, eluctata est, usque ad
 tempus, quo portum tetigit, contraxit. Damna ea enim
 diminuerunt pretium navis ad quod conservandum sacri-
 ficium fuit perfectum; nullius momenti igitur esse
 debent in pretium ad conferendum obligatum ¹. —

¹ PÖHLS, pag. 723, qui, loquens de ea doctrina, quam etiam
 legislator noster recepit, dicit, „Eben so sollte die particulare Ha-
 varie, die das Schiff erlitt nach dem ihm die in Havariégrosse zu-

VON KALTENBORN ¹, qui laudat legislatorem nostrum, quod tamquam fundamentum collationis dominorum navium aestimationem receperit loco adventus, putat, quamquam nostra lex hac de re tacet, ea damna esse addenda: dicit enim. »Die Zurechnung des »Betrages der Slitage von der Havariégrossenoth bis »zum Einlaufen in dem Nothhafen wird nur zwar »nicht ausdrücklich erwähnt, versteht sich aber wohl »bei einer genauen Berechnung von selbst. Jeden »falls aber der werth der particulaire Havarie, wenn »man auch die Slitage für zu unbedeutend halten »mag um sie besonders in Anrechnung zu bringen.“ Credo tamen difficillimum esse hanc opinionem defendere, quum historia huius articuli nihil de tali exulta doctrina doceat, et verba ejus, quod ad id attingit, quod pretio navis addendum esse dicitur, vim restrictivam habeant. Codex Francicus recepit doctrinam edicti Ludovici XIV, scilicet navem et naulum conferre debere tantum pro dimidia parte, sed addidit, de quo edictum tacebat, navem esse aestimandam loco adventus ². Est res valde perscita investi-

bringende Beschädigung zu gefügt wurde, wieder aufgeslagen werden, weil diese, als nach der Errettung des Schiffes geschehen die Contribution nicht angehen kann.“

¹ Cf. II T., pag. 169.

² Cf. Art. 417, C. F. M.

gare quasnam causas et rationes scriptores Francici et interpretatores codicis attulerint ad illam doctrinam defendendam. VALIN et POTHIER eam defendunt dicentes navem esse aestimandam loco, unde solvit; in hac doctrina perseverare poterant vigente Edicto maritimo LUDOVICI, quod locum aestimationis non indicabat, quamquam cum viro Celeb. FREMERY puto iis temporibus semper pro pretio loci adventus navem contulisse. At hodiernis scriptoribus difficilior est res hanc doctrinam defendere, quia codex praescribit locum aestimationis et quidem dicit eum esse locum, quo navis exoneratur. Audiamus virum Celeb. PARDESSUS ¹. »Le Navire et le fret doivent contribuer, » même le frêt des choses jetées..... néanmoins ce » frêt n'étant qu'une sorte de fruit civil et la juste » représentation des dépenses et des détériorations, » que le voyage occasionne, on ne fait contribuer le » navire et le frêt que pour le moitié de leur valeur, ou de leur montant." Igitur tantum pro dimidia parte debet conferre navis, quia per navigationem detrita est. Haec ratio aliquid diceret, si tamquam fundamentum collationis auctor reciperet navis pretium loco, de quo solvit. Sed minime; legimus enim pag. 244 »le navire est estimé au

¹ Cf. PARDESSUS, Cours de droit Commercial, pag. 286, T. III.

» prix qu'il se trouve au moment et au lieu où
 » s'opère la contribution, car le jet n'a pas con-
 » servé un navire neuf, mais plus ou moins dé-
 » gradé par la contribution." — Vir Cel. igitur bis
 usus est eadem ratione, scilicet navem per naviga-
 tionem esse deteriore factam, primum ad docendum
 navem tantum pro dimidia parte debere conferre,
 et deinde ad demonstrandum eam loco adventus esse
 aestimandam, unde sequitur eum bis a pretio ad con-
 ferendum obligato id deduxisse, quod detrimenti navis
 per expeditionem passa est. Si enim loco adventus
 navis aestimatur, tum jam facto id est deductum,
 quod detrimenti navigatio attulit. Vir Celeberr.
 ROGRON ad hunc Art. aliam dat rationem, ait enim:
 » Le navire est estimé au lieu du déchargement, mais
 » ce n'est pas cette valeur, qui doit contribuer. Tous
 » qu'il en a couté depuis au propriétaire pour la ra-
 » doubler et continuer la route ont augmenté cette
 » valeur il y aurait de l'injustice à le
 » faire contribuer pour cette valeur et le code prenant
 » un terme moyen décide que le navire ne contri-
 » buera, que pour la moitié!" Ponit igitur tamquam
 fundamentum doctrinae codicis Francici casum valde
 peculiarem. Fingit enim navem in piratas incidere,
 postea praelium navale committi; navem, postquam
 magnum damnum accipit, coactam esse portum ali-

quem petere, ibi magnis impensis refici, et tandem hisce feliciter peractis, novo splendore portum destinationis tangere. Fundamentum profecto satis speciale regulae tam generalis! Igitur auctore eo, quando navis, proelio commisso et pretio redemptionis soluto, statim portum destinationis petit, non pro parte dimidia contribuere debet, quippe pretio tempore, quo redempta est, non aucto. Negligit etiam vir celeberrimus hoc proelium esse commissum in communem salutem navis et mercium; damna itaque, quae navis in illo proelio contraxit, per collationem esse sarcienda, et igitur, quum reparata sunt, a pretio navis loco adventus non esse abducenda, quia secundum jus hodiernum etiam id, quod sarcitur, ad conferendum est obligatum. BOULAY-PATY ¹ dicens » un » navire n'a, en effet plus la même valeur apres » avoir été fatigué par le voyage qu'au moment de son » départ" dat eandem rationem ac PARDESSUS et aequè obliviscitur id, quod navis per navigationem detrimenti fecit, jam esse abductum, quando ea aestimatur loco adventus.

Est profecto res difficillima bonam rationem dare doctrinae codicis Francici.

Secundum jus Maritimum Borussiacum et Hispanicum

¹ BOULAY-PATY, Cours de droit Commercial Maritime, T. IV. pag. 463.

navis confert pro pretio, quod habet tempore, quo mare reliquit. Si hac de re inter partes oriatur lis, ab hominibus peritis id definitur.¹

STEVENS pag. 56 nos docet in Anglia tamquam fundamentum collationis navis recepti aestimationem, quae occurrit in polissa assecurationis, deducto damno peculiari, quod navis passa est, et si fortasse talis aestimatio non adsit, navem conferre oportere pro pretio, quo conditione, qua portum destinationis tetigit, aestimatur.

Investigemus jam, quaenam earum doctrinarum, quas a diversis gentibus acceptas vidimus, vera sit. Ad solvendam eam quaestionem, quae aliis verbis significat, quodnam verum pretium sit navis ad conferendum obligatum, mihi videtur necesse esse aliam proponere, et quidem sequentem: quid domini navis interest jactum fieri? Quid per sacrificium salvum reddi potest? Respondeo: pretium omnium eorum, quae de navi supersunt tempore, quo patronus videt jactum necessario fieri. Hoc responsum, ut sponte apparet, est etiam responsum ad quaestionem, quodnam sit verum pretium navis ad contribuendum obligatum. PÖHLS² eandem fert sententiam, dicens, si velis stricto jure judicare, putandum est navem ad

¹ VON KALTENBORN, T. II. pag. 164. ² PÖHLS, T. III. pag. 600.

conferendum esse obligatam pro pretio, quod habebat quo tempore ad factum concluditur, cuius consequentia est collatio. STEVENS ¹ vero qui dicit, »the true value of the ship for contribution is the amount that her hull, etc. would produce after the sacrifice is made, with the addition of the amount made good by general average contribution,» et BENECKE ², qui ait »der Rheder gewinnt oder rettet durch die Werfung oder anderweitige Aufopferung so viel als sein Schiff nach dem Unglück werth ist,» sibi aliam quaestionem proposuisse videntur, scilicet: quid jactus salvum fecit?

Id tamen, quod salvum factum est, patrono non persuasit, ut sacrificium faceret, sed id, quod salvum reddi poterat, itaque, quod ante jactum supererat. Si v. c. cautes navi foramen intulit, quo patronus movetur ad faciendum jactum, levandi causa, et per tempus, quo ille jactus perficitur, procella unum malorum frangit, tum ex sententia virorum STEVENS et BENECKE, malus non collationi erit obnoxius, quamquam etiam, ad eum salvum reddendum patronus jactum fieri jussit, et regula docet, »quod pro

¹ Cf. STEVENS, op. c. pag. 5.

² BENECKE, System des Assecuranz und Bodemerei Wesens.

Von RALPHSBORCH, T. II. pag. 164. §. IV. pag. 145.

omnibus datum est, id contributione *omnium* esse sarcendum."

Sed quisque videt doctrinam, quam exposuimus multis difficultatibus obnoxiam esse, ad quas tollendus caremus et facultatibus et remediis. Quomodo enim magister navis, quum magnis in periculis versatur, juste atque aequè aestimare potest id, quod circum se contemplatur? Quomodo hoc in negotio versari potest, quando auxilium et consilium diversis locis requiritur? Num mercatores semper fidem habere debebunt aestimationi, tali modo factae? Restat igitur nihil aliud iis scriptoribus, qui hoc argumentum tractant, nisi ut conentur pretium navis, quo tempore ad jactum concluditur, conjectura aestimare. Ad id propositum consequendum plerique putaverunt navem conferre debere pro pretio quo loco adventus aestimatur, et quidem integra conditione. Contra hanc doctrinam afferri potest, navi aliquod pretium attribui, quod secundum aestimationem domini non habet. Dominus enim illam aestimat secundum id, quo eam in portu ad quem redire solet, vendere posset. Navem enim non emittit, sicut res, ut in portu destinationis vendatur. Pretium igitur, quod ibi valet, non est pretium, quod habet domino, et ita non tamquam fundamentum collationis, casu vero singulari, in quo revera venditur, excepto, potest ac-

cipi, Praeterea subjiceretur patronus variationi pretiorum navium loco adventus, quamquam minime habeat animum navem suam ibi vendendi. Sit pretium ibi majus, quam pretium navium loco, ad quem navis redire solet, nimis contribuet; sin contra sit minus, non satis contribuet. VON KALTENBORN¹, qui doctrinam, quam improbamus, enuntiat, has difficultates probe sentit, et dicit propterea, aequè posse variare pretia navium loco ad quem navis, quae ad contribuendum est obligata, redire solet. Recte ait; sed tali variationi pretii omnes res nostrae sunt obnoxiae, neque est quod queramur. Tale quid vero loco alieno nobis nocere non oportet.

In ea doctrina tamen hoc est probandum, quod magis conjectura aestimare conetur pretium navis, quo tempore ad factum concluditur cujus consequentia collatio est, quam illa doctrina, quae docet navem debere conferre pro pretio, quo conditione, qua portum adventus tetigit, aestimatur². Distinguit enim inter damna, quae navis ante jactum, et quae postea passa est, prima abducens, non altera; distinguit inter illud, quod navigatio navi ante jactum detrimenti fecit et id, quod postea, quum alia doctrina praescribens ut navis contribuat pro pretio, quod habet in conditione qua advenit, omnia ea permisceat.

¹ Tom. II, pag. 168. ² Art. 727. C. N. M.

Alii etiam fuerunt, qui putarent navem conferre debere pro pretio, quo in polissa assecurationis est aestimata deductis damnis peculiaribus, cui doctrinae multi scriptores non faverunt, quod mirum non est. Collatio enim cum polissa nihil habet commune, quae etiam si ea non adsit, tamen locum habere debet. — Polissa nihil aliud est, quam documentum contractus inter assecuratorem et assecurantem; est igitur, quod attinet ad mercatores, documentum rei inter alios actae, quae eos obstringere, nec a quo definitio eorum portionum in collatione pendere potest. — Et si ante oculos habemus doctrinam Anglorum de assecuratione, quae patitur quinquies pretium alicuius rei assecurari, nobis apparebit, aestimationem rerum in illo contractu niti fundamentis prorsus diversis ab iis, quibus aestimatio rerum in collatione nititur. Si tamen non alius modus est aestimandi navem, nulla ratio est, cur aestimatio in polissa tamquam fundamentum collationis rejiceretur, dummodo congrua veritati sit v. c. secundum praecepta Art. 275. C. N. M.

¹ JAMES ALLAN PARK, A system of the Law of Marine Insurance, pag. 261.

„And the reason why the law allows that a man having some interest in the ship or cargo, may insure more, or five time as much, is, that a merchant cannot tell how much or how little his factor may have in readiness to lade on board his ship.”

PÖHLs, T. III, pag. 723, op. cit.

Intelligitur ex iis, quae diximus nos doctrinae favere, quae docet dominum navis conferre debere pro pretio quod habebat navis, quo tempore locum projectionis reliquit, et quidem hanc ob causam, quod per eam quam maxime secundum veritatem conjicere pretium possumus, quod navis habet quo tempore ad factum concluditur, cuius consequentia collatio est, in aestimatione domini. — Non credo necesse esse hoc amplius probare, post ea, quae jam hac de re dixi. Si ita tamquam fundamentum collationis pretium illud acceperimus, deducendum nobis est aliquid, detrimenti causa (wegens slytage), quod navis usu passa est, pro rata parte itineris jam peracti. Si navis damna pecuniaria contraxit ante jactum, etiam haec deducenda sunt, quia diminuerunt pretium, quod habebat navis quo tempore portum relinquebat; si vero damna post jactum navis accepit, eorum ratio nobis non est habenda, quia tantum agitur de pretio, quod per sacrificium voluntarium salvum reddendum erat, verum non de eo, quod in portum adventit.

S E C T I O II.

DE NAULO.

Non dubitari potest, quin naulum etiam ad conferendum sit obligatum; jactu enim salvum factum est, i. e. conditio impleta est, abs qua ejus solutio pendebat. In plerisque legibus et statutis de jure Maritimo haec sententia etiam enuntiatur, quamquam, quod ad modum attinet, quo naulum jacturam praestare oporteat, multum differunt. Leges tamen nonnullae etiam inveniuntur, quae hoc argumentum non tractant. An ex earum silentio ratiocinari licet, secundum eas naulum ad conferendum non fuisse obligatum? Credo equidem ad hanc quaestionem generale responsum dari non posse, sed distinguendum esse inter leges antiquissimorum temporum, et quae postea sunt factae. — Sic v. c. mihi persuasum est secundum Pandectas naulum non contulisse, quoniam jam quidam sensus juridicus requiritur, qui intelligat naulum salvum esse factum jactu. Naulum enim est aliquid, quod oculis cerni, et manibus tangi

non potest; quod esse pendet a rebus, quae sunt in futuro; quod non dici potest, quo tempore patronus ad jactum faciendum concluditur, in navi adesse. An talis sensus juridicus excultus in Pandectis exponatur certe dubitari potest, quando recordamur secundum eas id, quod sarcitur, ad conferendum non esse obligatum, — res jactas sarciri pro pretio, quo sunt emtae, et igitur in iis nondum fuisse cognitam doctrinam, quae docet omnes partes ejusdem conditionis esse debere; quae vitia hodierna doctrina feliciter emendavit. Vir Celeberrimus FREMERY loquens de illis vitiis exclamat. » Ces habiles jurisconsultes ont failli ! On ne peut le méconnaître. » Praeterea in eodem paragrapho, in quo patronus dicitur pro portione esse obligatus, agitur de diversis rebus, quas jactum praestare oportet, et causae dantur, cur ex iis quaedam ad conferendum non teneantur. Verisimiliter si contributio nauli Romanis in mentem venisset, itidem hoc argumentum esset tractatum. VALIN¹ eandem habuisse sententiam videtur. » Il paraît bien, enim dicit » que le maître du navire doit contribuer pour sa portion, mais il n'y est parlé que du navire et nullement du frêt. » PARDESSUS dubitat. Loquens de iis verbis, quae praescribunt, ut patronus pro portione sit obligatus, dicit, » mais cette expres-

¹ Sur l'Ordonnance maritime: Art. VII. L. III. T. VII.

» sion l'obligerait-elle seulement à contribuer pour
 » une partie du navire, ou pour totalité sans con-
 » tribuer pour le frêt? Le texte laisse des doutes.»
 Pandectis adnumerari possunt omnes leges, quae eas
 sunt secutae, ut Aniani interpretationes, PARDESSUS
 Coll. des Lois Mar. t. 1. pag. 149; Basilica ibid. pag.
 187; Leges Cypri, pag. 193; Synopsis minor ibid
 pag. 199 et 201, quae omnes de naulo tacent. —
 Quod attinet ad leges posteriorum temporum, quae
 etiam de naulo tacent, plures sunt causae dubitandi,
 an earum silentium naulum obligatione jactum praes-
 tandi liberet. Tales sunt: Jus Maritimum Massiliae
 anni 1253. Lib. IV. Cap. XXX. Jus Mar. Genuense
 anni 1441. Cap. XCVIII. Jus Marit. Civitatum Pon-
 tificarium. Eae enim omnes leges sunt factae tem-
 pore, quo CONSULATUS MARIS verisimiliter in Mari
 Mediterraneo vim obtinuerat, qui jam continet doc-
 trinam satis exultam de contributione nauli, ut adeo
 fortasse de naulo non locutae sint. Hoc dubium
 majorem vim obtinebit, ubi animadverterimus eas
 omnes leges vim habuisse in locis et regionibus, quae
 Mari Mediterraneo adjacent. Praeterea jam in iis le-
 gibus apparet rerum nauticarum major usus, quam
 in Pandectis invenitur. V. c. in eo statuto Massi-
 liae, loco supra commemorato, doctrinam legimus,
 quae hodie omnibus legibus maritimis est recepta;

eam scilicet, quae res jactas servatis comparat, et praescribit ut sarciantur pro pretio, quo servatae res vendi possunt, » in qua conditione, » enim ibi legimus, » avere dictum, quod jactum est, et merces » inde peioratae computantur secundum quod similes » merces illis valebant in illa terra in quo navis dic- » ta, vel illud lignum eas res salvas discaricabit por- » tum faciendo." *et cetera*

Pergamus jam ad eos fontes, qui de naulo agunt. — Secundum Consulatam Maris Cap. LIII. totum naulum jactum praestare oportet, si patronus id recipit tam rerum servatarum, quam amissarum; verum si tantum servatarum postulat, omni contributione liberatur, quia, ut additur, jam satis amittit, quum naulum rerum amissarum ei non solvatur. Haec eadem doctrina est in Cap. CLI, ubi agitur de contributione, quam patronum praestare oportet, quando aliquid accidit sive navi sive mercibus, et contractus sit factus ad partienda inter se damna, quae navis aut merces passa fuerint. Denique invenitur aliud Caput ¹ quod de naulo agit, et quod scriptum est, ut finis imponeretur diversis modis, quibus iis temporibus doctrina de contributione nauli exponi solebat. Nonnulli enim putabant omne naulum, quod patro-

¹ Caput CCXXXVIII. *et cetera*

nus acciperet, jactum praestare oportere; alii vero tantum naulum rerum servatarum ad contribuendum esse obligatum, si id patrono esset solutum; alii tandem, et eorum sententia vera erat, contendebant, naulum omnino non collationi subjacere, nisi pro rebus amissis esset solutum. Haec diversitas opinionum origo fuit novae doctrinae, hodie eodem fere modo a plerisque scriptoribus receptae, quae docet omne naulum, tam rerum servatarum, quam amissarum jacturam praestare oportere, deductis tamen conductu et cibariis sociorum navalium, aliisque impensis ad iter faciendum necessariis. In eodem capite etiam agitur de quaestione, an naulum stipulatum pro rebus, quae a patrono reducentur, jacturam factam per iter ad locum destinationis praestare debeat. Qua de re infra dicemus.

In jure Maritimo quod vulgo vocatur *Guidon de la Mer* legimus doctrinam, quam vidimus etiam Consulatu Maris receptam, — nempe patronum pro toto naulo ad conferendum esse obligatum, quando contributionem huius antefert contributioni navis. Omnes leges, quae sequuntur, dicunt naulum conferre debere, sed an aliquid de eo sit deducendum, nec ne, non indicatur: Jus. Mar. Hans. 1614. Tit. VIII. § III. Jus. Mar. Norv. Cap. III. Hamb. Tit. XVI. Art. 2. Jus Mar. Lubec: Lib. IV. Tit. II. § III.

Jus. Mar. Boruss. 1620. Lib. IV. Art. § III. Jus Mar. Catal. 1340. Cap. XXX. Leges Wisbycenses, Art. 38. § 2. Placitum PHILIPPI II 1653. Art. 6. Neque apud VAN DER LINDEN, neque apud VAN DER KEESSEL legitur aliquid peculiare de contributione nauli in patria nostra.

In Gallia post jus Uliaricum Edictum maritimum Ludovici anni 1681 statuit naulum tantum pro dimidia parte contribuere debere. — VALIN huius Art. hanc rationem dat, »Car enfin s'il y a un frêt c'est »aux depens du propriétaire, ou du maistre tant à »raison des victuailles consommées, et des loyers des »matelots, que de la diminution que souffre neces- »sairement le navire durant le voyage par le dépuis- »sément inévitable de son corps, et de ses âgres et »appareaux; à quoi il faut joindre l'interêt de toute »la depense de la mise-hors." ¹ Auctore eo igitur tantum dimidia pars nauli confert, quia altera, qua solvuntur conductus nautarum, cibaria, et impensae factae ad reparanda damna, quae navis contraxit per iter, non dici potest jactum salva esse facta. — Hanc doctrinam secutus est Codex Francicus. ² — Legislator noster recepit doctrinam Consulatus Maris. Legimus enim Art. 727." Door de vracht, on-

¹ Lib. III. Tit. VIII. Art. VII. Op. Cit.

² Cf. Art. 417, C. F. M.

der aftrek van de gagie en het scheepsvolksonderhoud.¹ An haec doctrina vera sit infra inquirimus.

Supra diximus non dubitare posse, quin naulum sit ad conferendum obligatum, neque credimus necesse esse multis verbis hoc demonstrare. Jactus enim servavit navem, cuius salus dici potest conditio, abs qua pendeat obligatio naulum solvendi, unde sequitur domini navis interfuisse eum fieri, et igitur illum ad conferendum etiam pro naulo esse obligatum. — De aestimatione vero nauli nondum locuti sumus; hic de hoc argumento agitur. Sed ante quam ad haec pergam, liceat mihi animadvertere facile esse intellectu, quoties hic de naulo, quod jacturam praestare oporteat, sermo est, toties nos loqui de naulo debito. Si v. c. tempestate gravi orta, navis tale damnum contraxerit, ut in portu, quem post jactum tetigerat, refici non possit et patronus aliam navem conducendi potestatem non habeat, tantum naulum quod pro rata parte itineris peracti debetur, ad conferendum est obligatum.⁴ Similiter, si navis a piratis redempta sit, et postea iter exsequi non possit, tantum naulum, quod debetur usque ad locum ubi navis erat capta, pro portione praestare debet pretium, quo navis a piratis erat redempta.²

¹ Cf. Art. 478. C. N. M. N. 3.

² Cf. Art. 483. C. N. M.

VON KALTENBORN docet in Jure Hispanico et Berussiano expressis verbis esse praescriptum ut tantum naulum pro parte rata itineris peracti debitum, contribuatur. In Codice nostro id non legitur sed tantum dicitur »*door de vracht.*» Attamen mihi videtur nos id sic intelligere debere ac si legamus, »*door de verschuldigde vracht.*» Ex deliberationibus, quae hac de re in concessu ordinum generalium habitae sunt, non apparet, quid voluerit legislator noster. Credo eum de ea re non multum cogitasse, et igitur nos verba ejus ita intelligere debere, ut sensum accipiant, quam maxime veritati congruum. — Naulo, quod pro rebus servatis debetur, adnumerandum est naulum rerum amissarum. Jactus enim efficit ut collatio fiat; res jactae existimentur in portu destinationis advenisse; patronus obligationi, quam susceperat ad res in locum definitum ducendum, fidem praestitisse, et igitur naulum meruisse. Solutio igitur nauli sequitur ex collatione, quae jactus est consequentia, ut adeo navis dominus pro eo ad conferendum obligatus sit. — Haec eadem valent de naulo earum rerum, quae ad communem usum navis et mercium sunt venditae. ¹ Non praetermittendum est si patronus, postquam fecit jactum, sive aliquas merces vendidit necessitate coactus, loco earum rerum aliis

¹ Cf. Art. 480. C. N. M.

mercibus navem oneraverit, naulum pro iis rebus stipulatum de naulo rerum jactarum, sive venditarum esse deducendum. Usum enim illius partis navis, in qua res jactae aut venditae erant impositae, dominus earum rerum conduxerat per tempus necessarium ad iter faciendum; si patrono jam liceret per partem illius temporis illam eandem partem navis aliis locare ad suum commodum, locupletaretur alieno jactu, quod aequitati repugnaret.

Ab eo naulo sunt deducenda omnia, quae ex eo solvenda sunt; eo enim tantum, quod superest, jactu salvo facto. Sic primo loco sunt deducenda stipendia nautarum quia a patrono vel domino navis e naulo solvuntur. Haec doctrina a nostro legislatore et plerisque recentiorum temporum est recepta. In Gallia, ut vidimus, aliam viam ingressus est legislator ad idem propositum consequendum. Statuit enim dominum navis tantum pro dimidia parte naulum ad conferendum esse obligatum, quia ex altera parte inter alia stipendia sociorum navalium solvuntur. ¹

Quaestio est inter viros doctos utrum tantum stipendia adhuc solvenda, an etiam ea, quae ante iter soluta sunt, deducenda sint. BENECKE ² putat ea non

¹ Cf. VALIN l. c.

² Op. citato. T. IV. pag. 146.

esse deducenda, quam sententiam defendit in alio opere ¹ hisce verbis. »For the advances can not be considered as diminishing the freight saved with which they stand in no connexion whatever.' Eodem fundamento nititur disputatio virorum PÖHLS ² et VON KALTENBORN ³. Dicunt enim stipendia jam soluta nihil habere commune cum naulo, quod ad contribuendum est obligatum, et primum quidem, quoniam, quando navis perit, illa stipendia patrono sive domino navis non redduntur; deinde, quia obligatio ad solvenda stipendia jam soluta non dici potest e jactu sequi. »In dessen, dicit PÖHLS, kann man nicht sagen das die bereits bezahlte Gage dem Schiffer in Folge der Rettung durch Havariégrosse zur Last gefallen sei.»

VON KALTENBORN in fine disputationis de hoc argumento videtur sententiam mutare. Opinionem eorum enim, qui putant illa stipendia etiam de naulo esse deducenda, acquitate potius niti, ait. PÖHLS vero in doctrina perstat, dicens in iis regionibus in quibus illa stipendia de naulo deducuntur, hoc fieri per negligentiam. Mihi etiam videntur ea stipendia non esse deducenda de naulo, sed aliam ob causam. Contendo enim dominum navis pro iis stipendiis solutis ad conferendum

¹ Principles of indemnity in Marine Insurance, pag. 313.

² Op. cit. pag. 726.

³ Op. cit. pag. 173.

esse obligatum, quia ejus interfuit etiam pro iis jactum fieri eatenus scilicet, quatenus sine eo illa stipendia in damna mutata fuissent. Sine jactu enim illa stipendia dominus non recuperasset; sine jactu fuissent damna, quae ei non sarciri potuissent. Intererat ejus propterea jactum fieri; aequum igitur est eum pro iis ad conferendum esse obligatum, ita ut de naulo non sint deducenda. Legislatores noster aliam videtur habuisse sententiam; loquitur enim tantum de stipendiis nautarum, non distinguens utrum sint soluta ante jactum nec ne, ita ut putandum sit secundum eum etiam stipendia jam soluta de naulo esse deducenda.

Denique deducenda sunt cibaria sociorum navalium. Existimantur enim ea impensae, quae ex naulo solvuntur, et ita diminuunt id quod patroni intererat, ut jactus fieret.

Scriptores Anglici ¹ discrimen putant adesse inter cibaria quae jam sunt consumpta ante jactum, et ea quae supersunt, et liberant collationem patroni tantum pro portione eorum, quae sunt consumpta. Hoc discrimen et haec doctrina inde sequuntur, quod cibaria existunt partem esse eorum, quae ad navem instruendum pertinent, et hanc quidem ob causam, quod navis jam iis onerata pluris vendi possit,

¹ LAURENCE, R. BAILY. General average, pag. 100.

quam quae sine iis venditur, ut, quum navis pro pretio, quod habet quo tempore patronus ad jactum faciendum coneludit, contribuit, collatio patroni tantum liberetur, pro cibariis consumtis, quae pertinent ad eam partem pretii navis, quod ea amisit a tempore, quo portum, unde profecta erat, reliquit usque ad tempus illud, quo jactus factus est, quum cibaria nondum consumta ad conferendum obligantur, quoniam partem ejus efficiunt, quod de nave superest tempore jactus. — Ea doctrina tamen mihi videtur falsa et collatio etiam liberanda esse pro cibariis nondum consumtis. Ea enim non dici possunt jactu esse salva facta, quia socii navales iter exsequentes ea consument, ut dominus navis eadem conditione futurus sit, qua fuisset, si navis periisset, itaque non dici potest ejus interfuisse pro illis cibariis nondum consumtis jactum fieri.

Restat ut de quaestione dicam, nunc in Anglia adjudicata quomodo naulum conferre debeat, si quid acciderit in prima parte itineris navi ea conditione locatae, ut naulum nullum debeat, postquam in portum destinationis pervenerit et inde novo cum onere domum reverterit, nisi salva eo, unde profecta est, redierit. — Putant nonnulli tali in casu tantum

¹ BENECKE, Principles of indemnity, pag. 315—417. VON KALFENBORN, T. II, pag. 176. Op. cit. FÖHLS, T. III, pag. 726. Op. Cit.

naulum conferre debere, quantum deberetur patrono, si navis tantum conducta esset ad res ad portum destinationis vehendas, quia, si totum naulum jacturam praestare oporteret, accidere posset ut patronus bis ad conferendum obligaretur pro naulo, si v. c. aliquid navi accidisset postquam reliquerit portum destinationis, quod rursus patronum ad jactum faciendum moveret, quum mercator in eodem casu simul conferret pro rebus, quas emisit, simul pro iis, quae ei remittuntur, — itaque non amplius parem esse patroni ac mercatoris conditionem. — Sunt alii, qui sententiam omnino supra commemoratae contrariam ferant; qui putant naulum totum conferre debere, quia iter ad quod faciendum navis est conducta in duas partes dividi non potest, et praeterea non solum jactu salvum factum est naulum pro portione itineris peracti sed etiam pro portione eius quod navi ad faciendum superest, sed tunc etiam esse deducendas de naulo omnes impensas, quae ex salute navis sequuntur v. c. impensas in portu destinationis, cibaria nova etc. Reperiuntur tandem alii, qui putent esse animadvertendum quo *tempore* collatio fiat, utrum fiat tempore, quo nondum certum est naulum debitum iri, an tempore, quo hoc certum est. Primo casu non omne naulum conferre debere dicunt, quoniam dominus navis eo tempore non dici potest naulum ac-

cepturus esse, et naulum nondum existimari potest partem ejus rei familiaris efficere. In secundo casu putant omne naulum esse obligatum ad conferendum, quoniam tum certum est jactum totum naulum salvum fecisse.

Mihi videtur totum naulum semper ad conferendum esse obligatum, et hanc quidem ob causam quod de contributione partis nauli nunquam sermo esse possit. In omnibus enim obligationibus sub conditione suspensiva contractis, nihil debetur antequam conditio est impleta¹. Pendente conditione nondum debetur, sed spes est debitum iri, unde sequitur quando de re aliqua agitur, quae prorsus a conditione pendet, agi de re quadam, quae in rerum natura non est. Illi igitur, qui in casu, quem tractamus putant naulum pro certa portione conferre debere, aliquid dividunt, quod non est; dicunt aliquid salvum factum esse, quod adhuc periculis inconstantis maris committitur. — Praeterea apparet exemplo sequenti doctrinam, quae docet naulum in hoc casu pro parte ad conferendum esse obligatum, falsam esse. Fingamus navem in prima parte itineris contraxisse magnum damnum, et collationem nauli pro parte esse effectam, postea in ultima parte itineris navem, tem-

¹ Cf. POTHIER *Traité des obligations*, pag. 104.

pertate gravi orta, perire. — Quid tum faciendum est? Num magistro navis reddetur id quod pro naulo contulit? Non potest; quoniam secundum doctrinam, quam improbamus, naulum pro parte erat salvum factum. Num facto patronus contulerit ad sarcindas res quasdam, quae ei nihil salvum fecerunt? Quod mihi videtur valde iniquum esse. Perspicuum est ex his, quae de hoc argumento diximus, collationem quod ad naulum attinet, in casu, quem tractamus, tantum tum efficiendam esse, quando navis in portum, de quo profecta erat, redierit et igitur mercatores, quorum mérces ad locum destinationis sunt advectae, obligatos esse ad cavendam se postea pro rata parte jacturam esse praestituros. — Sed fortasse aliquis rogat, quid si post aliquid damnum, in communem utilitatem acceptum, navis alio damno afficitur, quo iterum jactus necessarius est? Respondeo, tali in casu naulum bis conferre debere, quia bis servatum est, semel in prima parte itineris, deinde in altera. Est durum, sed patronus habet quod sibi imputet si contractum iniit, ex quo naulum ei sub conditione debetur.

DE MERCIBUS.

Postquam de aestimatione navis et nauli diximus restat ut de aestimatione mereium agemus. Est profecto argumentum dignissimum, quod paulo diligentius tractetur; in plerisque enim casibus sunt merces, quae propter magnum pretium majorem partem damni sarciant. De modo quo talis aestimatio sit efficienda scriptores de hoc argumento et legislatores multum differunt.

Investigando incipiamus quomodo gentes antiquiores merces aestimaverint et primo quidem loco quid Pandectae hac de re statuerint. In iis legimus res jactas sarciri debere pro pretio quo sunt emtae, quoniam detrimenti non lucri fit praestatio; i. e. quoniam mercator dominus earum rerum non habet quod queratur, si ei pretium, quo res illae sunt emtae, redditur; de lucro capessendo sermo esse non potest, mercibus ad locum destinationis non deductis, — porro, merces salvas conferre debere pro pretio, quo vendi possunt, » sed in his, quorum nomine » est conferendum, aestimatio debet haberi non quanti

sunt emtae, sed quanti sunt venditae, id enim eorum interfuit jacturam fieri." Perspicuum est hanc doctrinam duplici errore laborare; primus eo constat, quod res jactae aestimentur secundum pretium quo emtae sunt et ita dominus earum rerum pejoris conditionis sit quam caeteri mercatores quorum res salvae sunt; secundus, quod res jactae non contribuant, unde sequi potest dominos rerum salvarum omne damnum sarcire, iisque nihil superesse, quum domino rerum jactarum omne damnum sarcitur. Alter vero error alterum corrigebat. Dominis enim rerum jactarum ipsis ad conferendum non obligatis, lucrum cessans quasi sarciebatur, quum rursus iidem dici possunt, quodammodo pro lucro cessante conferre. Conditio igitur eorum et aliorum mercatorum fere similis fiebat, qui, quod iis conferendum erat, ab lucro, quod ex pretio venditionis capessebant, deducere debebant. Vir celeberrimus VOET¹ putat hanc aestimationis rationem, dummodo recte explicetur, sese commendare aequitate, quippe qua efficiatur, ut domini mercium jactarum etiam lucri, quod ex salvatis acquiritur, participes fiant; sarcitur iis damnum, haec enim ejus est sententia, ex pretio aliquo, cui inest lucrum, quod acquiritur venditione loco destinationis;

¹ VOET, ad legem Rhodiam de jactu, N^o. 15.

quo plus igitur lucrum acquiritur, eo plus iis redditur. Ad hanc opinionem illustrandam fingit navem esse oneratam mercibus, quae mille aureis emtae sunt; illarum dimidiam partem jactam esse, alteram vero partem octingentis vendi posse; porro contendit in tali casu dominos rerum salvarum quadringentos rerum jactarum solvere debere, quoniam nempe contributio fit pro portione jacturae, i. e. jacta mercium dimidia parte, dimidia pars salvarum dominis jactarum praestanda est, quae sententia mihi videtur verbis legis Rhodiae, salva reverentia, contraria esse. Secundum enim illam doctrinam, quantitas summae, quae dominis rerum jactarum redditur, pendet a pretio quod res salvae habent loco, ad quem sunt devectae; sint res salvae magno pretio venditae, plus sarcietur, sin parvo, minus; quod ne fiat tamen vetat lex Rhodia. Praescribit enim ut semper reddatur pretium emtionis dominis rerum jactarum. In casu posito, secundum viri celeberrimi modum collationem efficiendi recipiunt centum aureos minus, quam iis debetur. Damnum illatum sarcendum est, i. e. in casu quingenti aurei, quo pretium emtae erant merces. Vir celeberrimus FREMERY¹ eandem tuetur sententiam, et indicat vitium legis Rhodiae fingendo aliquem casum, in quo summa damni illati

¹ Op. cit. pag., 237.

similis est pretio navis et rerum salvarum, ita ut domino navis et dominis rerum salvarum omne damnum sarcientibus, nihil supersit. CUIACIUS ad legem II, § si navis etc. de lege Rhodia, docet etiam secundum illam legem dominos rerum jactarum nihil amittere, et quidem exemplo sequenti. Fingit tres mercatores adesse in navi; merces primi, emtas libris centum, jactas esse; merces secundi mercatoris vendi posse 400 Libris. merces tertii mercatoris 500 » navis pretium esse 300 » et porro dicit mercatorem rerum jactarum accipere a secundo mercatore. 33- 6-8 a tertio » 41-13-4 ex pretio navis 25

100.—

ut totum damnum ei sarciantur. — Illa doctrina Pandectarum invenitur in omnibus legibus pag. 26 laudatis, ex quibus apparet tempore quo latae sunt doctrinam contributionis per se ipsam, quam Francisci vocant *contribution en soi même*, nondum fuisse notam, neque illam, quae docet fingendum esse res jactas in navi cum salvis remansisse, — eas in locum destinationis esse devectas, et conditionem dominorum rerum jactarum et eorum, ad quos salvae res pertinent, similem et eandem esse debere. — Doctrinae, quae

praescribit ut tantum id, quod *revera* salvum reddi potest, ad conferendum obligatum sit, neque sermo est. De deducendo enim nautico, et aliis impensis de pretio rerum, collationi obnoxiarum, nihil legitur.¹¹

Primum vestigium doctrinae contributionis per se ipsam invenimus in jure Maritimo Hamburgensi annorum 1270, 1276, 1292. Tit. XVI. Art. 2. ubi legimus »der Schaden soll rechnen uber Schiff und »Gut *geworffnen* und ungeworffnen-porro,“ alle Gü- »ter sind pflichtig mit zu tragen »der Güter Werth soll man rechnen, als das andere »gilt in dem Marckte,“ quae eadem doctrina sed magis exulta invenitur in Ordinatione PHILIPPI II. anni 1563. Tit. IV. van schipbreuckinge etc., ubi legimus, »sal men alle die *verlorene* en de behou- »dene goederen estimeeren na de marckt daar die »behouden goederen sullen verkocht worden pennincks »pennincks-gelyke, zijnde daar eerst afgetrokken de »vracht en ander onghelt.“ — Vir Celeberrimus FREMERY¹ dicit in nullo fontium juris Maritimi medii aevi doctrinam contributionis per se ipsam luculente esse expositam, sed tamen putat gentes illius temporis secundum praecepta illius doctrinae damna, ad communem salutem accepta, dispertivisse. Ad hanc

¹ Op. cit., pag. 289.

opinionem confirmandam affert quaedam placita, quae mihi videntur esse parvi momenti, si iis opponuntur quaedam alia, quae contrariam continent sententiam. Verbi causa legimus in jure Maritimo Norvegio Cap. III. § 1. »de manière que le dommage soit »supporté par le *navire* et par toutes les marchan- »dises *sauvées* ¹. Item in jure Hanseatico Tit. VIII. Art. II. § 1. in jure Lubec. Lib. VII. Tit. II. § 1. in jure Succ. Cap. X. § 3. Idem invenimus in jure Borussiano Art. II. § 1. »ut omnes quorum inter- »fuit jacturam fieri, id est, tam mercatores ad quos »*res salvae*, quam exercitores ad quos *navis* periculo »erepta pertinet.” — Praeterea vir cel. dicit, nisi accipiatur secundum jus. Marit. vulgo vocatum Court des Bourgeois, quod Cap. 42 praescribit ut res jactae sicut res salvae aestimandae sint secundum pretium emtionis, res jactas etiam contulisse, putandum esse uni partium totum damnum sarciri, et alteram contra amittere, quod per collationem solvit, quod ex ejus sententiam valde iniquum esset, quod lubenter concedo. Talis doctrinae tamen exemplum invenimus in lege Rhodia, ut vir celeberrimus ipse indicavit. — Credo equidem doctrinam contributionis per se ipsam temporibus mediæ aevi non adeo fuisse acceptam, sed

¹ Cf. PARDESSUS, Collection des lois maritimes, T. III, p. 291.

tantum posterioribus temporibus magis fuisse usitatam. — Quod attinet ad locum ubi res jactae et salvae aestimari debeant pleraeque leges idem praeceptum habent, ut statuta Massiliae 1255. Lib. IV. Cap. XXX. Jus Marit. Genuense. Rubr. XIV. de jactu. Jus Marit. Norvegense. Cap. III. § 9. Jus Marit. Lubec. Tit. II. § 2. Jus Marit. Borussiae Art. II. de jactu. Jus Marit. Cataloniae et Arragonis. Art. XXVIII. Secundum consulatum Maris. Cap. LII. pag. 97. distinguendum est utrum navi aliquid acciderit in prima, an in secunda parte itineris. In primo casu res jactae sarcienae sunt pro pretio quo sunt emtae; in secundo vero casu pro eo quo vendi possunt. Jus Marit. Suec. Cap. X. § 2. idem discrimen facit, sed additur in casu secundo etiam impensas esse deducendas. Videtur haec doctrina originem debere legi Rhodiae, et quidem ei paragrapho, qua de rerum aestimatione agitur. Doctrina enim, quae ibi explicatur, per contributionem detrimenti non lucri praestationem fieri, legibus citatis in casu quo aliquid navi in prima parte itineris acciderit, recepta fuisse videtur, quoniam, quantum sit pretium loco destinationis, mercatorum tunc interesse non dici potest eam ob rem, quod navis, quo tempore res jacentur tam procul ab portu, ad quem aliae res devehendae sunt, absit, ut de luero omnino non sermo

esse possit. Eandem doctrinam tuetur Q. WEYTSSEN in libello de Avariis § 22, ad quem VERWER adnotat ex placito PHILIPPI II. Art. 6. res jactas aestimandas esse secundum pretium quo vendi possunt, sed tamen illud discrimen semper fuisse observatum ¹. BARELS ² docet hanc distinctionem etiam esse observatam quando de damno quaestio erat navi ab alia dato.

Si quaerimus quid de hac doctrina aestimandum videatur, respondendum est fundamentum, quo nititur, aliquid congruum veritati continere, sed difficilimum esse ad definiendum ubi prima pars itineris finita sit, altera vero inceperit. Vestigium huius doctrinae cernitur in Art. 728. C. M. N. ubi legimus, res jactas et salvas, quum aliquid navi acciderit intra fines patriae nostra ex pretio, quo vendi possent tempore, quo iis navis onerabatur, aestimandas esse.

Ut quaestionem solvamus, quomodo res conferre debeant, mihi videtur eadem quaestio nobis esse facienda quam proposuimus loquentes de modo, quo navem jacturam praestare oporteat, scilicet: quid per sacrificium salvum reddi potest; quatenus mercatoris interest jactum fieri? Omnia quae dixi ad probandum responsum ad

¹ Cf. BYNKERHOEKS, Quaestiones Juris privati Lib. IV, Cap. XXI.

² BARELS, Advyzen over de Koophandel en Zeevaart. T. I, pag. 166.

hanc quaestionem reddendum veram nobis indicare viam, ut recte pretium navis ad conferendum obligatum definiamus, de definiendo pretio mercium etiam valent.

Nonnulli ¹ aliam viam ingressi sunt et putaverunt merces non secundum pretium, sed secundum pondus contribuere debere, quia, ut ajunt, pondus causa est jactus; pondus causa est, cur navis levanda sit. At hoc argumentum nititur errore, quoniam procella, sive tempestas gravis jactus causa est, neque mercium pondus. Secundum eam doctrinam navis collationi non obnoxia esset, quia pondus ejus causa jactus non dici potest. Sed ne de tali doctrina copiose loquamur: error nimis est apertus, et praeterea omnes leges tam antiquiorum, quam recentiorum gentium praescripserunt ut res contribuerent pro pretio, quo pecunia constant.

Statuimus igitur aliis verbis verum pretium mercium ad conferendum obligatum esse id, quod res medio in mari earum dominis habent. Sed quisque videt res medio in mari pretium habere dici non posse. Officium igitur est legislatorum et scriptorum de hoc argumento excogitare modum definiendi pretium, qui proposito quam

¹ WESKETT, Art. contribution.

KAIMES principles of equity book I, part. I, C. 3, § 2, pag. 116. Seq.

maxime congruat. Nonnulli ¹, ut hoc assequerentur, tamquam fundamentum aestimationis mercium receperunt pretium, quo emtae sunt, dicentes injustum fore atque causam discriminis inter mercatores, si aestimentur res loco destinationis, quoniam res diversae diverso pretio vendi possunt, nonnullae parvo, aliae magno, itaque mercatores, quorum merces parvo pretio venduntur, plus damni accipere per contributionem, quam ii qui ex pretio venditionis magnum lucrum capiunt. Mihi videtur argumentum ab illis scriptoribus, qui expositam doctrinam tuentur, allatum, non esse magni momenti. Utrum res magno an parvo pretio vendantur sunt ex incertis iis, quae mercaturae alea fert. Praeterea quando mercator loco destinationis res parvo tantum pretio vendere potest, ex inde sequitur illum etiam pro minore portione ad conferendum esse obligatum; non habet igitur, quod queratur. Sed dubium maximi momenti, quod contra talem doctrinam afferri potest, est sententia a plerisque scriptoribus recepta, quo pretio emerit mercator, ejus non referre. Pretium emtionis, quod ad mercatorem, qui merces quasdam in portum aliquem emisit, ut ibi venderentur, est saepe pretium fictum; pretium vero venditionis loco

¹ Cf. Hamburgische Assecuranz-Ordnung.

„Soll bei der Eintheilung der Groszen Havarei das Gut nach der Einkaufsrechnung mit den beigefügten Unkosten bis an Bord des Schiffes, ohne die Prämie gerechnet werden.

destinationis semper verum. Res quas misit in locum aliquem, ut ibi vendantur, ei habent pretium illius loci; est illud pretium, quod deducendis deductis rem familiarem aut majorem aut minorem reddit. — Est igitur id pretium, propter quod ejus interest, ut jactura fiat; aequum est illum pro eo contribuere. Haec ratiocinatio tam valet de mercatore, qui res mittit quam de eo, qui eas loco destinationis recipit. Est enim aut dominus earum rerum per emtionem venditionem, et tum ejus tantummodo interest, quantum sit pretium mercium, quas emit, loco, quo habitat i. e. loco destinationis, aut est mandatarius mercatoris mittentis cujus, ut docuimus, tantummodo interest, quantum sit pretium mercium loco, ad quem eas misit.

Alii putant ¹ tamquam fundamentum aestimationis mercium, pretium, quod habent in rationibus mercatoris ², esse accipiendum. Ex eorum sententia talis aestimatio aestimationi loco destinationis longe anteposenda est, quia pretium mercium multo facilius tali modo definiiri potest quam per aestimationem, quae praesertim quando de mercibus, quae multiplici variationi pretii sunt obnoxiae, est ineunda, magnis difficultatibus laborat. Porro putant magnam commoditatem

¹ BENECKE, op. cit. T. IV, pag. 102.

² Factuur-waarde.

huic doctrinae inesse, quippe quae res navi impositas per totum iter tamquam inmutabiles tractet, quod ad qualitatem et quantitatem. Denique tamquam dubium contra doctrinam, quae docet res aestimandas esse loco destinationis, iniquitatem afferunt quae ex ea sequitur, quando nonnullae res deteriores sunt factae. Putant enim tali in casu mercatores, quorum res aliquid damni non receperunt, mercatoribus, quorum res aliquid damni contraxerunt, minus contribuentibus, ad nimium conferendum esse obligatos. — Universe contra hanc doctrinam idem dubium afferre possumus, quod contra sententiam eorum attulimus, qui putant res aestimandas esse secundum pretium, quo sunt emtae, scilicet non, quantum sit pretium in rationibus eius, interesse mercatoris, qui res misit, aut ejus, qui eas tamquam dominus sive tamquam mandatarius recipit. Pluris enim eorum interest, scilicet etiam quantum lucri ex venditione sint capturi; itaque oportet eos pro lucro contribuere, quod jactus etiam salvum fecit. Quod ad praestantiam, quae aestimationi secundum pretium in rationibus expressum propter commoditatem inesset, fateor me eam non tanti facere, quoniam aestimatio mercium, quamquam multiplici variationi pretii obnoxia eodie tantis difficultatibus non laborat. VON KALTENBORN ¹ loquens de pretio,

¹ Op. cit. T. II..

quod res integrae habent loco destinationis dicit, »denn »einmahl lässt sich dieser Werth immer am leichtesten »bestimmen.“ Porro nititur dubium, quod afferunt contra doctrinam aestimationis loco destinationis, scilicet ei inesse iniquitatem, quum pars rerum ad conferendum obligatarum deterior facta est, errore, qui nascitur ex inscientia doctrinae contributionis rerum quae deteriores sunt factae.

Ex omnibus quae supra diximus, et ex dubiis quae contra doctrinas expositas attulimus, intelligitur nos doctrinae favere, quae docet pretium mercium loco destinationis verum esse, quod tamquam fundamentum collationis mercatorum accipi debeat. Est enim aequum illos pro eo pretio contribuere, quoniam est id pretium, quod in pecuniam mutatum recipere cupiunt, ut eo rem suam familiarem augeant. Haec doctrina etiam a plerisque legislatoribus et scriptoribus de hoc argumento est recepta. ¹

¹ Cf. FREMERY. op. cit., pag. 240.

„ VALIN ad ord. Marit., T. II, pag. 144.

„ POTHIER, T. IV, pag. 607.

„ PARDESSUS. op. cit. T. III, pag. 241.

„ BOULAY-PATY. op. cit. T. IV, pag. 553.

„ Code de Commerce, Art. 402, 447.

„ STEVENS. Op. cit., pag. 53.

„ LAURENCE R. BALLY. op. cit., pag. 105.

„ ABBOTT, Treatise part. III, Cap. III, p. 14.

Fatendum est huic modo pretium mercium definiendi aliquid mutabile inesse, quippe qui mutatur, quando navis in portu, in quem periculis maris coacta appulit, exoneratur, et ibi collatio fit, tum etiam a variationibus pretii pendet, quibus merces sunt obnoxiae. Sed tale quid adeo mercaturae est proprium, et praesertim omnibus pretiis mercium, ut in eo aliquid abnorme inveniri non possit, et inprimis si de mercatura, quae transmare fit sermo est, quae ex natura majoribus periculis et incertis eventibus obnoxia est.

Antequam pergamus ad diligentius pretium mercium ad conferendum obligatum definiendum, liceat mihi animadvertere nos semper finxisse, hoc argumentum tractantes, merces integras in portum destinationis advenisse et multum interesse, si hoc locum non habeat. Quum enim res deteriores factae advectae sunt, distinguendum est utrum damnum, quod contraxerunt iis acciderit ante, an post tempus, quo patronus ad jactum faciendum concludit. In primo casu res deteriores factae contribuunt pro pretio, quo tali conditione vendi possunt; damnum enim quod tunc passae sunt, imminuit id, quod jactu saluum reddendum erat; imminuit id, propter quod mercatoris intererat jactum fieri, ut adeo pro eo tantum, quod de

Cf. PÖHLS. op. cit., pag. 730.

// VON KALTENBORN. op. cit. T. II, pag. 183.

iis superest tempore jactus, contribuere debeat i. e. pro pretio, quod merces in illa deteriori conditione habent.— In secundo vero casu semper res conferre debent pro pretio, quo vendi potuissent, si *integrae* advectae essent, neque interest utrum jactus causa fuerit damni, nec ne. — Si enim causa sit damni, damnum sarcitur, i. e. domino illarum mercium solvitur per collationem id, quod interest inter pretium, quo res vendi possunt deteriori conditione, et illud pretium, quo vendi potuissent, si *integrae* mansissent, et quoniam secundum leges recentiorum gentium id, quod sarcitur, etiam ad contribuendum est obligatum, id discrimen pretii pretio, quo vendi merces possunt, est addendam, ut conferant, ac si *integrae* advectae essent. Sit contra jactus non causa damni, mercibus tamen conferendum est pro pretio, quo merces eiusdem generis *integra* conditione vendi possunt, quoniam, damnum quod res post jactum acceperunt, non efficere potest ut, quo tempore jactus factus est, minoris essent pretii, et de damno illo regula valet » casum sentit dominus.”

Secundum Pandectas, L. IV. § 2. de lege Rhodia, res deteriores factae contribuunt pro pretio, quo illa conditione sunt venditae. Eo loco enim legimus, » sed de » fendendum est hunc (mercatores) conferre debere pro » pretio praesenti rerum;” non distinguitur igitur inter

damna quae ante, et quae post jactum rebus acciderint; porro additur, res per jactum deteriores factas tantum conferre debere quando in collatione plus est quam in damno, i. e. quando per collationem plus est sarcendum, quam damnum, quod res per jactum passae sunt, ex quibus etiam apparet quam parum doctrina collationis apud Romanos fuerit exulta. POTHIER ¹ etiam putat res deteriores factas tantum debere contribuere pro pretio, quod illa conditione habent. Sed haec doctrina nititur falso fundamento scilicet, id tantum salvum esse factum quod in portum aliquem advectum est.

Eandem sententiam legislator noster tuitus est in Art. 728, C. M. ubi legimus, »mitsgaders de bijzondere avarij gedurende de reis ten laste derzelve gevallen.» Si inquirimus, cur legislator noster hanc doctrinam receperit, videmus eum esse secutum Anglos, qui eodem fundamento ac POTHIER contendunt ² res debere conferre pro pretio quod habent conditione, quo in portum destinationis sunt devectae. — Commentatores plerique nostri ad hunc Art. non multa adnotant, atque de distinctione, quae facienda est inter damna quae ante, et quae post jactum res passae

¹ Cf. POTHIER, T. IV, N^o. 132. Des avaries.

² Cf. STEVENS. Op. cit. 52.

VOORDUIN ad, Art. 727 Cod. Merc.

sunt, tacent. ¹ Vir consultissimus DE PINTO non perinde tamen tacet, sed valde legislatorem nostrum laudat, quod Art. 641, Codicis anni 1830 addiderit etiam esse deducenda damna pecuniaria, quae merces per iter passae sunt; dicit enim; »en na aftrek der »halve van alle op dezelve berustende lasten, waar »onder terecht ook worden gebracht bijzondere ava »rijen,» ex quibus verbis perspicuum est eum de tali distinctione non cogitasse, et igitur, quod ad damna, quae res post jactum passae sunt, regulam violare, »casum sentit dominus.»

Ad definiendum pretium ad conferendum obligatum posuimus quaestionem, quid mercatoris intersit ut jactus fieret, et respondimus propter illud pretium, quod res tempore jactus habent, et ad illud pretium definiendum tamquam fundamentum collationis esse accipiendum pretium, quo vendi possunt res loco destinationis. Sed perspicuum est aliquas impensas esse faciendas, antequam mercator merces vendere possit. Illae deducendae sunt de pretio venditionis, quia revera id diminuunt, propter quod mercatoris interest ut jactus fieret; id diminuunt, quod saluum reddere potest jactu. Plerique scriptores idem volunt, quando docent tantum pretium purum (netto-

¹ Cf. ANNOT. AMSTEL. ad hunc Art. et LIPMAN in prooemio ante Tit. de avariis.

waarde) ad conferendum esse obligatum. Mihi videntur tamen illi scriptores ¹ significationem, quae vulgo verbis *netto-waarde* tribuitur, mutare, quum putant pretium purum esse pretium venditionis, deductis tantum illis impensis, quarum jactus causa est, sive quae post jactum solvendae sunt. Quid enim mercator sibi significat illis verbis *netto-waarde*? Ex opinione ejus verba ea indicant pretium mercium, quo eas vendidit, deductis omnibus impensis sine distinctione, quo tempore illae impensae factae sunt. Si semel igitur accipiatur sententia tantum pretium purum ad conferendum esse obligatum, omnia onera sive impensae sunt deducenda sine distinctione utrum ante an post jactum sint factae, v. c. etiam impensae in emtionem; vectigalia, de nonnullis mercibus, quae exportantur, solvenda, veluti secundum leges nostras de cinere foci, de vitro fracto, de setis porcinis; porro impensae, quae faciendae sunt ad navem mercibus onerandam, denique pretium assecurationis; quae omnes impensae ab illis scriptoribus non deducuntur, quoniam dicunt, eas ex actu non esse secutas. Intelligitur illos scriptores duas permiscuisse doctrinas, quarum una docet tan-

¹ Cf. FREMERY, pag. 242.

VON KALTENBORN II, pag. 185.

tem pretium purum esse ad conferendum obligatum; altera ¹ vero, illas tantum impensas esse deducendas, quarum jactus causa est, sive quae non essent solvendae si res totae periissent, quamquam altera alteram excludit. Quodsi semel tamquam fundamentum contributionis mercium accipias earum pretium purum, de distinctione inter impensas ante et post jacturam factas, sermo esse non potest.

Et tamen, si in doctrina, quam acceperant, perseverassent nec aliam immiscuissent, ad veritatem pervenissent. Verum enim ² est tantum purum pretium ad conferendum esse obligatum, quia non nisi ob illud pretium mercatorum interest ut jactus fiat, sed porro distinguendum illis esset in deducendis impensis inter eas, quae ante et quae post jactum sunt factae, quoniam pro iis, nec vero pro his ad conferendum obligatus est mercator. Eas enim fecit sperans fore ut, aliquando mercibus in locum destinationis devectis, pretium venditionis eas sarciret; per

¹ Cf. LAURENCE R. BAILY. Op. cit., pag. 101.

² Cf. FREMERY, Op. cit. pag. 242, c'est donc la valeur nette, que le propriétaire des marchandises pourrait tirer de leur vente.

Cf. VON KALTENBORN, Op. cit. T. II, pag. 165, denn nur das ist als gerettet anzusehen was durch den Verkauf der Eigenthümer erlösse.

Cf. PÖHLS, Op. cit. T. III, pag. 732. Auch die Waare kan aber nicht für ihren ganzen Werth contribuiren, da ihre Erhaltung den Eigner derselben nur so weit nützt als er sie netto erhält.

expeditionem tamen navis et cum ea merces in periculis versantur; spes igitur fore ut impensae sarciantur pretio venditionis, evanescit, et ita conditio rei familiaris mercatoris diminuetur. Ne tamen hoc fiat jactus fit necessarius; est factus; impensae non in damna mutatae sunt, sed mercatori ex pretio venditionis compensabuntur. Aequum igitur est pro iis mercatorem contribuere, nam eatenus, quatenus impensae eae damna fieri potuissent, mercatoris intererat ut jactus fieret. Quod attinet ad impensas post jactum solvendas, de contributione earum quaestio esse non potest. Si enim navis perit, non solvuntur, mercatoris enim quod ad eas non interest ut jactus fiat. Sic illi scriptores ad veram conclusionem pervenire potuissent secundum ipsorum doctrinam, nec necessarium fuisset significationem communem, quae verbis *netto-waarde* tribuitur, mutare. Quaedam impensae adnumerandae sint iis, quae jam ante jactum et quae post jactum sunt factae, facile est intellectu. Ad primum locum pertinent eae, quas jam supra commemoravimus, impensae in emtionem factae, ut verbi causa merces proxenetae, qui res emit, et si mercator, qui res mittit, tantum sit mandatarius (*commissionair*) hujus etiam merces cum usura, quae ei debetur a die, quo emtio est facta, usque ad diem, quo a mercatore, qui emtionem man-

davit, sors restituitur; impensae factae ad reparanda tegmina, quibus merces obducuntur, quod vulgo dicitur *emballage*; impensae factae ad res in navem ponendas; vectigalia, quae de nonnullis rebus, quae exportantur, exiguntur. Ad secundum locum omnes aliae impensae referendae sunt, veluti impensae factae ad navem exonerandam, et si de rebus jactis aut a piratis captis et postae receptis quaestio sit, impensae custodiendi; vectigalia quae de nonnullis rebus quae importantur exiguntur; merces proxenetae, qui merces loco destinationis vendit, cui addetur merces mandatarii (provisie) si mercator, cui res mittuntur, non earum sit dominus; ad postremum naulum. Praeter causam quam supra attulimus cur ad contribuendum eae impensae non sint obligatae, quod ad naulum addere possumus, id etiam eam ob causam jacturam praestare non oportere, quod alioqui bis contribueret, quoniam, ut supra vidimus, pro eo dominus navis ad conferendum est obligatus.

Quum jam ad eandem conclusionem perveniamus, sive omnes impensas deducimus et postea eas, quas diximus ad primum locum impensarum esse referendas, ad conferendum obligamus, sive has omnino non deducimus, multo simplicius et facilius est in perficienda collatione tantum eas impensas deducere, quas secundo loco adnumeravimus, et revera regulam sequi, quam pro-

ponit LAURENCE BAILY, qui docet tantum deducendas esse eas impensas, quae non essent factae, quando res plane periissent.

Plerique scriptores recte putant tantum merces conferre debere pro pretio loco destinationis, quando navis et merces illum locum tetigerint. Quum autem navis portum loci destinationis intrare non potest, dicunt¹ in doctrina, quam tuentur multa esse mutanda, casus, qui tum locum habere possunt, tripliciter dividentes. Primus casus est, quando navis post jactum coacta est ad locum, unde profecta erat, redire, et ibi perficitur collatio. Secundus est, quando navis iter perficere non potuit, et portum aliquem necessitate coacta intravit, in quo collatio locum habet; tertius denique est, quando post jactum navis periit, et nonnullae res sunt servatae (geborgen). In primo casu putant res conferre debere pro pretio, quo sunt emtae, additis omnibus impensis. Rationes, quas huius doctrinae afferunt, sunt maxime sequentes. Dicunt pretium loco destinationis mere esse pretium fictum, quod non amplius existit a tempore quo iter interruptum est, et navis ad locum, unde profecta erat redire coepit, et eam ob rem tantum interesse mercatoris,

¹ Cf. PÖHLS, Op cit. T. III. pag. 733.

VON KALTENBORN, Op cit. T. II. pag. 193. 194.

quantum sit pretium emtionis. Porro putant de pretio, quo res, postquam redierunt, vendi possunt, sermonem esse non posse, quoniam mercator, qui semel res suas emisit nunquam in mente habuit eas vendere loco emtionis. Mihi videntur haec veritati minus esse congrua. Assentior viris cel. mercatoris non interesse tempore, quo magister ad jactum faciendum coactus erat, quantum sit pretium loco destinationis, sed contendo eorum non magis interesse, quantum sit pretium emtionis, sed tantummodo quantum sit pretium quo res vendi possint tempore, quo in locum, unde profecta erat navis, advehuntur, sive collatio fit. Si enim in doctrina quam tuemur persistimus, quaerendum est nobis, quid mercatoris intersit ut jactus fiat hoc in casu, cuius consequentia est, ut navis ad locum, unde profecta erat, coacta redire, iter pergere non possit, et respondendum illum de pretio loco destinationis non profecto cogitasse, sed sperasse fore ut jactus salvum redderet pretium, quo res postquam redierunt, vendi possunt, unde perspicuum est, eum pro illo pretio conferre debere, cuius gratia jactus factus est. Quod ad argumentum ab illis scriptoribus allatum, ut probent de pretio, quo res postquam advenerunt vendi possunt, sermonem esse non posse, mihi videtur aequè dici posse mercatorem, qui merces ad aliquem locum misit,

ut ibi venderentur, minime in mente habuisse eas sibi habere, quod revera fingitur, quando res pro pretio emtionis conferre debent, et ita ejus non interesse quantum sit illud pretium, tempore quo jactus necessarius fit. Manifestum est nos ante oculos habere pretium, quo res ejusdem generis integra conditione vendi possunt, quoniam alioqui distinctionis inter damna ante jactum et post jactum mercibus vel navi illata, ratio haberi non potest. Quod ad deducendas impensas infra de iis dicemus. In casu secundo putant res conferre debere pro pretio quo loco, in quem sunt advectae, vendi possunt, omnibus deducendis deductis, quod belgice dicitur *netto-provenue*. Ratio, quam huius doctrinae afferunt mere est negativa; dicunt enim pretium mercium loco destinationis non esse id, quod jactus salvum fecit, sed pretium quo in illo portu vendi possunt. Nolo hic repetere, quae in mea introductione dixi, virum celeberrimum Pönlis tamquam fundamentum collationis hoc in casu doctrinam ponere quam rejecerat pag. 730. l. c., sed tantum animadverto etiam sine illa negativa ratione ad eandem conclusionem perveniri posse. Puto enim nobis eandem quaestionem esse proponendam, quam in primo casu proposuimus et ad eam esse respondendum in tali casu pretium quo res in portu de quo sermo est, vendi

possunt, esse id, quod propter mercatoris interest ut jactus fiat. De alio pretio quaestio esse non potest, quia mercator tantum sperat fore ut saltem in aliquem locum merces vehantur, quando magister ad jactum faciendum concludit. Pretium igitur mercium illo loco, in quem fortuna navem ducat, erit fundamentum aestimationis rerum collationi obnoxiarum. In tertio casu dicit PöHLs pag. 735 res debere conferre, si stricto jure judicamus pro pretio, quod habent quo tempore jactus necessarius fiebat, sed addit difficillimum esse illud pretium aestimare, et eam ob rem ad conferendum esse obligatas merces pro pretio, quo vendi potuissent integra conditione loco, quo sunt servatae. Mihi idem videtur. Censeo enim si perstantes in doctrina, quam tuemur, rogamus, propter quod mercatoris intersit ut jactus fiat, respondendum esse propter pretium, quod res habebunt loco destinationis, quia fingitur navem et cum ea merces post jactum alio casu periisse. Sed fatemur id pretium difficillimum posse definiri, quoniam incertum est quo tempore navis et merces in locum destinationis pervenissent, si nihil accidisset. Restat igitur nihil, nisi ut tamquam fundamentum collationis accipiamus pretium quod res habent in portu, quo servatae sunt. Praeterea post pretium quod merces loco destinationis habuissent illud maxime, quantum sit, mercatoris in-

terest. Apparet hic de pretio sermonem esse, quo merces eiusdem generis integra conditione vendi possunt, et quidem ob eandem causam, quam in casu primo attulimus. Quod ad impensas attinet, mihi videntur eae in tribus casibus esse deducendae, quoniam statuendum est plerumque nullum portum, portu destinationis excepto, eas mercatori sarcire posse, ut, si navis alium portum, quam portum destinationis intraverit, in damna impensae mutantur, ob quas mercatoris non interesse potest, jactum fieri, ex quo sequitur nullam causam esse, illas pro iis contribuendum esse. Non recte intelligo, quam ob causam in primo casu ex sententia plerorumque scriptorum pretio, quo merces emtae sunt in portu, unde navis profecta erat, impensae sint addendae, et illae ita ad conferendum obligentur. Eae impensae enim in damna sunt mutatae tempore, quo navis ad locum, unde profecta erat, redire coepit, quoniam mercatori, pretium mercium loco destinationis non accipienti, eae impensae non compensantur. Impensae revera tantum pretio venditionis, non autem emtionis sarciantur. Nulla est ratio igitur cur mercator pro iis impensis, quae ei non redduntur, contribuat.

Restat ut de contributione pecuniae numeratae dicamus. Si historicam partem huius argumenti spectamus, videbimus tantum leges nostras patriae hoc

de re aliquid constituisse. Apparet enim antiquissimis consuetudinibus pecuniam numeratam tantum pro dimidia parte pretii contribuisse. Legimus in nostro jure Maritimo Gemeene Costuume der Zee, Art. 38. duorum nummorum semper unum contribuisse, quod idem est ac si scriptum esset, unum nummum pro dimidia parte ad conferendum esse obligatum. Videtur¹ vero postea, sed ante ordinationem PHILIPPI II, pecuniam numeratam ad conferendum non fuisse obligatam, cuius rei lex quaedam fuit causa, quae vetabat ne mercatores ex Hispania et Lusitania pecuniam numeratam exportarent sub poena publicationis pecuniae numeratae, et supplicii corporalis in delinquentes. Quum tamen mercatores multum pecuniae exportarent arbitri nunquam pecuniam numeratam rebus ad conferendum obligatis adnumeraverunt, ne violatio legis notesceret; ita ut, quum postea Imperator ipse pecuniam² exportare caeperat, et multa damna communia navis et merces acceperant, et mercatores contendebant pecuniam numeratam ad conferendum esse obligatam, contendere posset, pecuniam numeratam nunquam collationi fuisse obnoxiam, itaque ne se quidem obligatum esse pro eo jacturam praestare.

¹ QUINTIEN WELTSEN van Avarijen, § 26.

² ORD. anni 1563. Art. 7 van Schipbreeckinge, Zeewerpinge Avarijen.

PHILIPPUS II tamen postea sententiam mutavit, et statuit pecuniam numeratam ad conferendum esse obligatam pro pretio vero. Vir Celeberrimus VAN DER KEESSEL docet Amstelodami etiam post Ordinationem PHILIPPI II semper pecuniam numeratam pro dimidia parte pretii contulisse.¹ Hinc in fine Art. 640 Codicis anni 1830 legebatur pecuniam numeratam pro dimidia parte pretii ad conferendum esse obligatam. Causae, quae huius rei afferebantur, erant sequentes, pecuniam numeratam prae aliis mercibus non nisi exiguum spatium obtinere, neque detrimento alicui obnoxiam esse, ut adeo reliquas merces ad sarciendum detrimentum obligare non possit. Legislatores vero nos- ter illam doctrinam non est secutus, et praescrip- sit ut pecunia numerata jacturam praestare oportet pro pretio, quod habet loco, quo iter finitum est.² Est igitur hic eandem doctrinam secutus quam accepit de contributione mercium et navis, quamquam animadvertendum est, illum in casu, quo navis ad locum, unde profecta erat, coacta est redire, et collatio ibi fit, distinxisse inter tempus quo pecuniae numerata aestimanda sit et tempus quo res aestimari debent. Videtur enim pecunia semper esse aestimanda tempore, quo iter finitum est, quum mer-

¹ DE PINTO, Handl. 2de Ged., 2de Stuk, pag. 401, N^o. 4.

² Art. 727. C. N. M.

ces contra sunt aestimandae secundum pretium, quo vendi potuissent tempore, quo navis iis onerabatur, unde sequi potest conditionem mercatoris qui pecuniam numeratam navi imposuit, et mercatoris, qui mercibus eam oneravit, imparem esse, quandoquidem inter pretium pecuniae numeratae tempore quo mercibus navis oneratur, et illud quod habet tempore quo iter finitum est, interest.

C A P U T III.

DE IIS REBUS, QUAE AD CONFERENDUM NON SUNT

OBLIGATAE.

Restat ut de iis rebus, quae ad conferendum non sunt obligatae, quaedam dicamus.

Inter eas primum locum obtinent cibaria, quae jam in Pandectis, sicuti in omnibus legibus recentiorum gentium collatione eximebantur. Ratio huius rei videtur esse consequentia discriminis, quod est inter causam cur cibaria in navem imponuntur, et causam ob quam mercibus navis oneratur. Merces enim imponuntur navi ut in locum destinationis vehantur, ita ut si per aliquem casum id propositum mercator non consequi possit, illius nihil non intersit, quod fieri

possit, ut talis casus avertatur, quum cibaria navi imponuntur ut nautis victum praebeant, ita ut dominus eorum eadem sit conditione, qua fuisset, si navis et cum ea cibaria periissent. ¹ Sive enim navis perierit, sive locum destinationis tetigerit cibaria dominis interierunt. Habent domini navis igitur, quod ad cibaria non aliquid propter quod eorum interest ut jactus fiat. Intelligendum est idem valere de cibariis viatorum, quibus praeterea non solum ii ipsi utuntur, sed quae ab iis dominus navis in communem usum pretio aequo emere potest. Eandem ob causam etiam eae res, quae ad defendendam navem sunt necessariae, contributione eximuntur. Sunt enim in navem positae, ut aliquando absumantur.

Sequuntur vestes quotidianae tam viatorum, quam sociorum navalium et annuli et gemmae quae portari solent. Placitum PHILIPPI II dicebat, quod vulgo corpori induitur non ad conferendum esse obligatum. Et recte; eas enim non dici possunt tantum jactu salvas reddi posse, quoniam sine jactu etiam a viatoribus sive nautis essent servatae. Quod vero attinet ad ea vestimenta, quae eo consilio navi sunt imposita, ut ad locum definitum vehantur, non ean-

¹ Cf. VAN HALL, de magistro navis, Amstel. 1822. Part. II. pag. 99—105.

dem causam possumus afferre, quam supra attulimus, qua probemus ea contributione esse eximenda, quoniam qua revera propter ea dominorum interest ut jactus fiat.

Liberantur porro contributione stipendia nautarum. POTHIER ¹ huius doctrinae hanc dat rationem; dicit aequum esse nautis, qui jactum fecerunt, et ita quasi pro corpore contribuerunt, privilegium concedi, quod eos contributione liberet. Consequentia huius doctrinae esset, eos conferre debere ad praestandum pretium quo navis a piratis redempta est, quoniam tali in casu non dici possunt pro persona contribuisse. quod etiam ante codicem in usum venit; sed cui postea derogatum est. ² Mihi videtur ratio consuetudinis, qua nautas pro stipendiis liberentur, haec esse, quod semper fuerit necessarium rei nauticae favere et durum esset nautas, qui plerumque homines pauperes sunt, et labore sua vitam sustentent, pro stipendiis ad conferendum obligare.

Quoniam illud tantum in mente habui ut praecipue de conditione inter mercatores et patronos navium agerem, hinc quaestio non agitur, utrum secundum

¹ POTHIER, Oeuvres Complètes. IV. pag. 604. N^o. 126. Ed anni 1844.

² BOULAY PATY, Assurances et Contracts à la Grosse d'Emerigon. T. I. pag. 516. Art. 461. C. F. M.

legem nostram aliquis, qui in portu, de quo navis
profecta erat, patrono pecuniam mutuum dedit per
contractum Bodemeriae ad conferendum sit obligatum,
nec ne.

TANTUM.

liberatur portu contributione stipendio nautico
L'empereur a l'ancien droit de la mer du royaume; d'au-
tre part, il a voulu que les navires, qui sont devenus
selon le droit de la mer, par suite de la découverte
de la mer, soient libérés. C'est pourquoi il a voulu
qu'ils ne soient pas soumis à la contribution de la mer.
C'est pourquoi il a voulu que les navires, qui sont devenus
selon le droit de la mer, par suite de la découverte
de la mer, soient libérés. C'est pourquoi il a voulu
qu'ils ne soient pas soumis à la contribution de la mer.
C'est pourquoi il a voulu que les navires, qui sont devenus
selon le droit de la mer, par suite de la découverte
de la mer, soient libérés. C'est pourquoi il a voulu
qu'ils ne soient pas soumis à la contribution de la mer.

Quoniam hinc tantum in mente habuit et praecipue
de conditione inter nauticos et patronos nauticos
agere, hic quaestio non agitata, ultra servandum
est. *Formen, Geistes Geschichte, IV. pag. 604. 20. Jan. 1844.*
Bourne, *Journal of Commerce* 2 in *Journal of Commerce*
Vol. 1. p. 1. 1844. 1844. 1844.

THE END

T H E S E S.

I.

Uxor, quae mariti domicilium reliquit, ex jure nostro per vim cogi non potest, ut in domum illam revertatur.

II.

Verba in Art. 949. Cod. Civ. *een der wettige kinderen*, non ad liberos primi tori solos sunt referenda.

III.

In L. 2. § 1. D. de lege Rhodia de jactu adverbium *vel* tollendum est.

IV.

Vir celeberrimus Voet, in par. 15 ad legem Rhodiam, hanc legem minus recte explicat, atque ita sententiam probat, quae omnino non probanda videtur.

V.

Improbatus est legislator noster, quod in Art. 727. Cod. Merc. tamquam fundamentum contributionis receperit pretium, quod habet navis loco, in quem appellitur.

VI.

Improbatus est legislator noster quatenus in Art. 728. Cod. Merc. in casu, quando collatio facienda est in patria nostra, tamquam fundamentum contributionis mercatorum receperit pretium, quod merces habuerunt tempore, quo merces navi impositae fuerunt.

VII.

Neque magis probandus idem, quod in eod. art. princ. non distinxerit, in deducendis damnis peculiaribus de pretio mercium, inter ea quae merces ante jactum eaque quae demum post jactum passae sunt.

VIII.

Doctrina de contractu cambiali, ipsarum literarum cambialium fundamento necessario, merito hodie repudiatur.

IX.

Qui literas cambiales die constituto bona fide solverit, ad iterum solvendum cogi nequit, si falso indossamento transmissas eas fuisse postea constiterit.

X.

In Art. 764 vocabulum *schulden* intelligendum tantum est de debitis mercatoris.

XI.

Quoties verba, *aan order*, vel alia in eundem sensum in literarum cambialium indossamento non leguntur, literae illae ex jure nostro indossamento ad alios transferri non possunt.

XII.

Minus recte legislator noster in Art. 478 Cod. Merc. patrono navis, quando navis in itinere ita fracta est, ut refici non possit, officium imposuit suis impensis aliam locandi.

XIII.

Improbandas legislator noster, quod in codice Poenali non distinxerit inter certamen singulare et homicidium ordinarium.

XIV.

Recte Chauveau et Helie *Théorie du Code Penal* Ed. Brux: 1837 l. pag. 28. N^o. 98. "A nos yeux l'intimidation, la réforme ou l'expiation ne son point, à proprement parler, le but du chatiment, mais bien les moyens de l'atteindre. Et en effet, la fin de toute pénalité est le maintien de l'ordre dans le société, la protection du droit."

XV.

Vere atque eleganter Mendelsohn in opere: *Jerusalem oder über*

—

Religiöse Macht. „Welche Regierungsform wohl die beste sey, ist eben so unbestimmt, wie jene medicinische Frage von gleicher Art,“
Welche Speise ist wohl die gesundeste?“

XVI.

Religionis vinculum maxime necessarium in civitate est, et ad societatem inter homines conservandam aptissimum: itaque recte Rousseau, „L'oubli de toute religion conduit à l'oubli des devoirs de l'homme.“

CEREBRI ET MEDULLAE SPINALIS
SYSTEMATE VASORUM CAPILLARIUM
IN STATU SANO ET MORBOSO